

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 5: De aliis rebus Caput 15: De die finalis iudicii (5)

Bernardus:

Ve mihi misero, cum venerit illa dies iudicii, et aperti fuerint libri,
in quibus omnes mei conatus et cogitationes domino presente recitabuntur!
Tunc dimisso capite pre confusione conscientie,
in iudicio coram domino stabo trepidus et anxius,
utpote commemorans scelerum meorum,
et cum dicetur ad me: ecce homo et opera eius,
reducam ante oculos meos omnia delicta et peccata mea.

Namque divinitus fiet,
ut cuique sua opera bona et mala cuncta in memoriam revocentur,
et mentis intuitu mira celeritate cernentur,
ut accuset vel excuset conscientia,
atque ita simul omnes et singuli iudicentur.

Vae mihi misero, cum venerit dies illa iudicii, et aperti fuerint libri
in quibus omnes mei actus et cogitationes Domino praesentandae recitabuntur!
Tunc demisso capite prae confusione malae conscientiae,
in iudicio coram Domino stabo trepidus et anxius,
utpote commemorans scelerum commissa meorum.
Et cum dicetur de me, Ecce homo et opera ejus;
reducam ante oculos omnia delicta et peccata mea.

Quadam namque vi divina fiet
ut cuique sua opera bona vel mala in memoriam revocentur,
et mentis intuitu mira celeritate cernantur;
ut accuset, vel excuset scientia conscientiam,
atque ita simul et singuli, et omnes iudicentur.

Auctor incertus (Bernardus Claraeuallensis?), *Meditationes piissimae de cognitione humanae conditionis*, 2.4 (PL 184, col.487D-488A).

Quaedam igitur uis est intellegenda diuina, qua fiet,
ut cuique opera sua, uel bona uel mala, cuncta in memoriam reuocentur
et mentis intuitu mira celeritate cernantur,
ut accuset uel excuset scientia conscientiam
atque ita simul et omnes et singuli iudicentur.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 20.14 (CCSL 48, B. Dombart ed., p.742, ll.42-47).